



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Certam esse mensuram peccatorum, hominibus constitutam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Rom. 2. 5.

mergi? Segetes cum maturæ sunt, metuntur. Sic & homines falce digni sunt, postquam sibi diu iram in die ira thesaurizauerunt. Cresceret in immensum licentia peccandi, si perduelles animaduernerent perpetuam scelerum impunitatem. Quid enim tunc non facerent, qui nunc perquam meditatè peccant? Poëtam audi.

Horat. lib. 3.
Od. 24.

*O quisquis volet impias
Cades, aut rabiens tollere cinicam:
Si quaret pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refranare licentiam.*

II.

Quemadmodum igitur diuina iustitia certam quamdam singulis regnis, provincijs, & urbibus constituit mensuram, certo numero, & grauitate peccatorum definitam, qua impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, alioque modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit annorum & peccatorum.

Matth. 23. 32.

Vnde & Christus dixit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Notum est illud de Israelitis dictum. *Generatione quarta*

Gen. 15. 16.

reuerterentur huc (in terram Chanaan) nec dum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum, scilicet ut excendantur, tuoque semini locum relinquunt. Constituit eadem diuina iustitia etiam primæuo Mundo mensuram hanc, qua completa, dixit ad Noë:

Gen. 6. 13.

Finis uniuersa carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Clamauerant ad cælum libidines, amor habendi, crudelitas, idololatria, & vindictam postulauerant; quibus sceleribus multiplicatis, multiplicabatur & clamor, isque fuit tandem diuinæ iustitiæ auribus intolerabilis, nimirum quando peccata eam mensuram attigerant, ultra quam Deus non amplius sibi ea tolerare ab æterno statuit; rupit cælum, induxit diluuium; sicut & quando clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis; tunc enim iterum clamor iste ad sidera penetravit, &

Gen. 18.

ignem, sulphura, piceosque nimbos deuocauit in nefandos. Quia & vltimum Mundi excidium tum demum veniet, quando implebitur numerus peccatorum, præsertim per superbiam, ambitionem, luxuriam, auaritiam, hæreses, Magias, atheismum, &

Numinis

Numinis religionisque contemptum, & similia flagitia. Quæ porro hæc sit mensura peccatorum vel toti Mundo, vel regno, vel homini cuique constituta, soli Deo notum est, atque ad divinorum iudiciorum abyssum, & altitudinem illam diuitiarum est referendum. Itaque qui in primo peccato hominem deserere meritò potuisset, quomodo iniustus erit, si eum deserat in millesimo? & sinat non solùm tentari, sed etiam quassari, & perire, tam pertinaciter perire cupientem?

Fateor, nulla diuina vindicta vulgò minoris fit, quàm quæ in punitione spiritali consistit, cum sensibus non percipiatur; nulla tamen vel seuerior est, vel iustior, quare longè magis formidanda est, quàm aut Gomorrhæ incendium, aut orbis diluuium. Si enim bona spiritalia multis modis antecellunt ijs bonis, quæ sensibus blandiuntur; erunt profectò etiam honorum spiritalium, quàm temporalium damna magis metuenda. Quæ grauior in hac vita potest æstimari poena, quàm quæ est æterna proxima, eamque & certò secum trahit, & necessariò antecedit? Hanc ergo poenam esse iustam, agnoscemus libenter, si paulò enucleatiùs perpendamus. Consistit enim in gratiæ iustificantis, & totius boni, quod hanc gratiã consequitur, itèmq; in auxiliij interni & externi subtractione; nec non in excacatione & induratione. Talis homo tentatur, & superatur; delinquit, & non resurgit. An non autem dignus est gratiam perdere, qui Deum odit? An non meretur donis supernaturalibus exui & spoliari, qui ijs nugas Mundi, & res vanissimas anteponeat? Quòd si quis igitur gratiam in se destruxit iustificantem, qua Dei amicus fuerat, & in peccatum consensit, quo in infinitum quoddam Dei odium incurrit, an non is meritò à Deo deseritur? hostine, an amico succurrimus? Quandoque, quæ Dei clementia, ille non statim deserit, sed ouem perditam querit. Sensim tamen toties ingrato auxilia interna ad salutem opportuna imminuit; ac tandem vbi impleta est malitia peccatoris, vltimumque gradum attingit, omninò subducit. Quemadmodum enim homini iusto, & amico, tamquam filio, curam opemque debet Deus, vt ad promissam in cælo perueniat hæreditatem; ita nihil debet illi, qui sponte, & per malitiam suam jus perdidit ad

III.

Gggg

illam